

accidit. Receptis namque oppidis, Cardinalis damna sibi illata sarciri petebat; atque, quo minus in perduellionis reos animadverteret, impediri nolebat. Contra Carolus, pace parata, reliqua silentio involvi tegique, æquum esse contendebat. *Cur enim damna sarciret, quæ, dum suis rationibus prospiceret, illata fuerant? cur eos qui sibi militaverant, vitam periculis objecerant, aliorum iracundiæ ac fortasse crudelitati objiceret?* Ad hæc Cardinalis, *consentaneum non esse, ut impune a Carolo direpta oppida, vastatos agros, bonis incolas exutos pateretur, ipse in perduelles lege agere non posset, dum jura, quæ in suis ditionibus habere Carolus dictitaret, Carolo illibata atque intacta manerent.* Mendozza Sabaudum aperte favebat: *male, quæ pro Mantuano tuendo a Philippo acta fuerant, pendi: nisi in rebus, quæ minimi momenti sint, Regi obtemperaret, nisi de sententia decederet, armis coacturum minari.* Sed cum Castilioneus Mediolanum profectus, vim Italici Principibus adhiberi, Cæsaris nomine graviter conquereretur, ab eoque se mandata habere diceret, quibus Sabaudum ac Mantuanum in jus apud ipsum vocaret; tunc Mendozza a vi minisque ad cohortationes precesque conversus, Mantuanum, inquit, rogari oportere, ut Hispaniarum Regi, de se optime merito, morem gerat. Interea Helvetiorum missionem de militaris consilii sententiæ decretam abrogat; qui cum protectionem pararent, divenditis armis, nudi atque inermes viscebantur. Carolus quoque quotidie novis conscribendis militibus incumberebat. At Mantuanus quantum poterat, officiis nitebatur, rationesque suas Cæsari, & Regibus exponi studebat. Federicum quoque Gonzagam per eos dies oratorem Venetias miserat, qui (quod nondum præstare armorum tumultu potuerat) suam in Mantuano imperio successionem Patribus significaret; ingentes pro acceptis beneficiis gratias ageret; de Marci Antonii Memi, Principis, qui Leonardo Donato suffectus fuerat, suprema in Republica dignitate gratulatus; quo loco suæ res essent exponeret. Gonzaga aureo torque a Senatu donatus fuit: Joannes Amulius, qui gratulationis munus obiret, ad Cardinalem legatus est designatus.

Dum hæc fiunt, Mediolani de damnis sarcendis, deque

1613
Diffidia
inter Sa-
baudum &
Mantuanum
denuo
oriuntur.

Federicus
Gonzaga a
Mantuano
Venetias
missus.

Joannes
Amulius,
ad Man-
tuanum
orator.